

Verbor. signific. Item exemptio a talibus, c. *De quarta*, et c. *Cum olim de Præscript.* Taceo alia hujusmodi, quæ tum privilegio, tum consuetudine legitime præscripta acquiri possunt. Fateor tamen cum Fagnano, in c. *Cum contingat*. n. 8 et 11, de *Foro competent.* ac aliis doctoribus, quod dentur nonnulla, quæ quidem competere possunt ex privilegio v. g. Apostolico, non tamen possint acquiri, consuetudine, vel præscriptione; idque procedit præcipue tunc, quando consuetudo est a jure reprobata, arg. c. *Cum instantia. de Censibus*, ubi privilegium Apostolicum potest quem eximere a præstandis procuracionibus, non autem præscriptio, aut consuetudo. Similia plura ad propositum vide lib. I, tit. IV, a n. 65, ubi explicavimus commune axioma: Acquisita privilegio, sunt acquisibilia consuetudine.

41. *Acquiritur etiam per communicationem. Remissive.* — III. Acquiruntur privilegia per communicationem, de qua specialiter § seq. per totum.

42. *Privilegium motu proprio concessum non statim suum effectum a die concessionis habet.* — Queritur IV. An privilegium rite concessum statim habeat effectum a tempore collationis, vel potius primum, quando devenit in notitiam privilegiati? Celebris est hæc controversia, quam late examinat Sanchez, lib. III, de *Matrim.* disp. 36, et tangit Herinex, disp. 4, de *Legib.* n. 69. Engel, h. t. n. 12, et amplius tit. de *Clandest. desponsat.* n. 17. Menochius, cent. 2, de *Arbitr. Judic.* casu 185, n. 30, et seqq. Layman, lib. I, tr. IV, cap. 23, n. 9 et 10, cum aliis; in cujus resolutione multum variant doctores propter diversos textus juris inferius assignandos, sed probabiliter sententia utitur distinctione. Unde

43. Resp. I. Quando privilegium motu proprio, et absque ulla prævia supplicatione privilegiati fuit concessum a principe, regulariter non habebit effectum suum ante notitiam, et acceptationem privilegiati. Ita Sanchez, Layman, Engel, Herinex, ll. cc. et communior aliorum. Ratio est, quia privilegium est quædam donatio, quæ non valet ante acceptationem, arg. l. *Absenti.* ff. de *Donation.* prout et beneficii ecclesiastici collatio non dat jus in re ante acceptationem, c. *Si tibi absent.* de *Præbend.* in 6.

44. *Probat ex jure.* — Confirmatur id ipsum ex cap. I, § *Ex parte. De concess. Præbend.* in 6. ubi dicitur, « quod privilegia

vim suam habent mox cum ad illos, quibus conceduntur, perveniunt; » et consequenter non antea, quando adhuc ignorantur a privilegiato, sicque ab eodem acceptata nondum sunt. Unde in simili, si quis absenti servo scribit, ut in libertate moretur, non acquiritur servo libertas, nisi pro eo tempore, quo servus de hoc certior factus est, textu claro l. *Qui absent.* ff. de *Acquirend. possess.* Similiter dignitas consularis primum acquiritur a litteris præstitis, id est, præsentatis, l. ult. c. de *Consulibus*, lib. XII, juncta Glossa, ibid. Item donatio non confert jus aliquod donatario ante acceptationem, et consequenter ante notitiam ipsius, cit. l. *Absenti.* ff. de *Donationib.* Siquidem invito beneficium non tribuitur, juxta *Reg.* 7, ff. de *Reg. jur.* Omitto similia.

45. *Limitatur.* — Dixi tamen notanter n. 43, Regulariter non habebit effectum: Nam excipitur casus, quando princeps per se, ac motu proprio concedens privilegium, velit illud statim habere suum effectum a die concessionis; quia hoc non excedit potestatem principis, cum etiam leges, sive constitutiones possint trahi ad præterita, vel ad pendente negotia, dummodo nominatim in eis de præteritis caveatur, cap. ult. de *Constitut.* Accedit, quod nonnulla privilegia tantum auferant a privilegiato aliquod onus, v. g. non solvendi pœnam, decimas, et hujusmodi; ergo non est ratio, cur ea non possint habere suum effectum illico a die primæ concessionis, si id princeps expresse velit, dummodo ex post facto acceptentur a privilegiato: sicut a pari legatum in Testamento relictum secuta ex post facto ejus acceptatione cedit, seu debetur legatario a die mortis testatoris, l. *Si tibi homo.* ff. de *Legatis I*, cum Concordantiis.

46. *Privilegium ad præcedentes preces concessum statim a die concessionis valet.* — Resp. II. Nihilominus privilegium ad supplicationem ipsius privilegiati, vel procuratoris ejus concessum, statim habet effectum a die collationis, neque opus est, ut prius innotescat privilegiato. Ita supra citati auctores. Ratio est, quia quando privilegiatus, vel ejus procurator supplicavit, et princeps concedit privilegium, statim adest ejus acceptatio, mutuasque hinc inde concessus, dum ex parte unius adest concessio, et ex parte alterius acceptatio privilegii, sicque perfecta habetur donatio.

47. *Probat rationibus.* — Confirmatur id

ipsum rationibus, quibus generaliter multi doctores, a Sanchez, loc. cit. relati, volunt probare, privilegium, vel dispensationem prodesse a tempore concessionis etiam ignorantibus. Imprimis enim in Rescriptis gratiæ (quibus annumerantur privilegia) non attenditur tempus præsentatæ, sed tempus datæ, ita ut statim tunc, cum gratiæ datæ sunt, habeant effectum suum, et per ea jus parti acquiratur, *Se eam te. de Rescriptis.* Deinde legatum in testamentum relictum acquiritur ignorantibus, dummodo ex post facto acceptentur, seu non respuatur, l. *Cum pater.* § *Surdo.* ff. de *Legat. I*, ergo idem dicendum de privilegio, saltem pro quo quis supplicavit perse, aut per suum procuratorem. Insuper restitutio deportati prodest ignorantibus, arg. l. *Ejus*, qui in provincia, ff. *Si certum petatur*: atqui restitutio deportati est aliquod privilegium, vel gratia; ergo. Tandem etiam collatio beneficii prodest ignorantibus, et quamvis ei non tribuat jus in re, bene tamen jus ad rem, ut passim volunt doctores; neque enim absque ejus, cui collatum est beneficium, dissensu, sive repudiatione potest episcopus illud alteri conferre, c. *Si tibi absent.* de *Præbend.* in 6.

48. *Inferuntur doctrinæ practicae.* — Ex datis duabus responsionibus plura inferunt doctores. Nam inferunt primo cum Sanchez, loc. cit. n. 8, et aliis, valere matrimonium, cui simplex sacerdos post petitam a se mediantibus litteris, aut procuratore, atque a parochio, vel ordinario concessam licentiam assistendi interfuit, quamvis de dicta concessionem nondum fuerit certior factus: secus dicendum, si dictam licentiam nullo modo petiverit. Inferunt secundo, valere absolutionem a reservatis, vel excommunicatione, quando licentia absolvendi per internuntium fuit petita, et a superiore jam concessa, licet nuntius necdum redierit. Taceo similia plura. Nec obstat, quod usus talis licentiæ ante acceptam certam ejus notitiam videatur illicitus ac temerarius. Resp. enim, quamvis periculosum sit atque illicitum propter defectum certæ cognitionis de concessa sibi facultate tale quid attentare, nihilominus actum gestum fore validum.

49. *Conciliantur textus juris.* — Quæres autem, quomodo textus juris n. 30 et 33, allegati possint inter se conciliari, cum prioribus pugnare videantur contra responsionem secundam, et posteriores contra primam. Resp. I. cum Engel, part. III, *Manualis pa-*

rochorum, cap. v, § 6, n. 17, et tit. de *Clandest. desponsat.* n. 17, in iis casibus, qui n. 30, referuntur, propterea requiritur alterius partis notitiam, quia trahunt secum aliquam ejus reciprocam obligationem: sic enim servus manumissus tenetur ad juspatronatus, consul ad onera consulatus, donatarius ad antidora, et evitandam ingratitude, cap. ult. de *Donation.* ac hujusmodi. Contra tamen fit in casibus num. 33. relatis, simulque in his habetur aliquid speciale favore ultimæ voluntatis, ac liberationis deportati.

50. Ad c. *Si tibi absent.* de *Præbend.* in 6, pro utraque responsione allegatum, respondeo, etiam beneficium teneri ad onera beneficii, et subjectionem episcopi: unde collatio beneficii facta ignorantibus merito non tribuit jus in re, ob ejusmodi obligationem annexam, bene tamen jus ad rem, cum hoc non obstante libere possit dimitti, vel potius non acceptari; post acceptationem vero semel factam, per quam acquiritur jus in re, et quasi dominium ipsius, ut explicat Pirhing, tit. de *Præbend.* n. 55, non potest amplius dimitti beneficium sine auctoritate et consensu superioris, c. *Admonet.* de *Renuntiation.* cum Concordantiis.

51. *Beneficii collatio etiam absentibus facta revocari amplius nequit. Et cur?* — Cur autem collatio beneficii absentibus facta amplius revocari non possit, cum tamen collatio beneficii censeatur esse donatio quædam, cap. IV, de *Donation.* ibi: *Donationes vero, vel concessiones ecclesiarum: simulque donatio ante acceptationem donatarii libere possit revocari*, l. 2, et l. *Absenti.* ff. de *Donation.* Cur, inquam, ejusmodi collatio beneficii amplius revocari non possit ante acceptationem ad instar aliarum donationum, communiter doctores hanc assignant rationem et disparitatem; quia donatio rei propriæ ex mera liberalitate concedentis proficiscitur, collatio vero beneficii ecclesiastici est cujusdam necessitatis; nam prælatus tenetur ex officio conferre beneficia, et collatione semel facta collator jam est functus officio suo, et hinc merito variare prohibetur.

52. *Solvuntur alie instantiæ ex jure.* — Ad id, quod n. 33, dicitur, in litteris, sive in scriptis attendi tempus datæ, etc. Resp. inde quidem recte probari alteram responsionem nostram, nihil tamen inferri contra primam: nam hujusmodi rescripta non dan-

tur, nisi ad alicujus consultationem, relationem, vel supplicationem, sicque loquendo de litteris gratiæ illico adest acceptatio, seu consensus ex parte privilegiati. Sed neque textus ex c. 1, de Concession. Præbend. in 6. Urget contra responsionem secundam; quia textus ille est duntaxat allegatio partis, non decisio juris, ac proinde non vincit; quamvis probabiliter allegetur pro priori responsione n. 30, eo quod Papa in fine citati textus pro parte illa rescribat, sicque fundamentum ejus approbare videatur.

§ III.

DE COMMUNICATIONE PRIVILEGIORUM.

53. *Communicatio quid sit?* — Quæritur I. Quid sit, et quomodo fiat communicatio privilegiorum? Resp. I. Communicatio, et communicare a ly communis derivatum, idem esse, ac communem facere, et conferre alicui, quod prius alteri jam fuerat concessum, ita ut communicatio privilegiorum consistat in participatione, et concessione quadam privilegii: quia superior privilegium, quod uni simpliciter concesserat, etiam ad alterum extendit. Sic. c. 2, h. t. in 6. Studio generali Romæ viginti communicantur privilegia aliorum studiorum generalium.

54. *Et quomodo fiat.* — Resp. II. Communicatio privilegiorum dupliciter fieri potest, videlicet vel absolute, plene et perfecte; vel imperfecte, et relative. Primo modo fieri dicitur, dum privilegium, quod prius uni communitati, aut personæ fuerat concessum, alteri absolute, plene, ac illimitate ita conceditur, ut illa persona, cui fit communicatio de se, et per se independentem ab alio frui possit privilegio, ac si ei prius specialiter esse concessum. Altero modo illis fit, quibus non propter se, sed ob connexionem, quam habent cum aliis, communicatur privilegium; ut medicis, familiaribus, advocatis certarum religionum. Donatus tom I, tr. 7, q. 1, cum communi doctorum.

55. *Ordines mendicantes plenam invicem habent communicationem privilegiorum.* — Quæritur II. An et qui ordines, ac qualem habeant communicationem privilegiorum? Resp. I. Ordines mendicantes omnes habent inter se absolutam, perfectam, et plenissimam communicationem privilegiorum, prout omnes doctores hac de re scribentes unanimiter docent, atque ex variis constitutioni-

bus Pontificiis præsertim Julii II, Leonis X et Pii V, manifeste patet.

56. *Nostra minorum religio in specie tam cum mendicantibus, quam non mendicantibus plenissimam habet communicationem privilegiorum: probatur ex variis Bullis.* — Et quidem pro ordine FF. minorum notanda amplissima concessio Clementis VII, per Bullam, quæ incipit: *Dum fructus uberes*, et refertur circa finem Compendii privilegiorum, in qua pontifex « motu proprio, et ex certa scientia, omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, indulta, indulgentias, peccatorum remissiones et gratias, dicto minorum, et S. Claræ, ac tertio de pœnitentia nuncupato, ordinibus, illorumque personis, locisque concessa, etc., approbat, et innovat: eisque omnia et singula privilegia, concessionem, indulgentias, et gratias, etc., quibusvis ordinum mendicantium, vel non mendicantium congregationibus quomodolibet concessa, et concedenda, suæ professionis regularis observantiæ non contrariæ, communicat in omnibus, et per omnia, perinde ac si eis specialiter concessa fuissent. » Ita citata Bulla Clementis VII, B. Pii V, Gregorii XIII, Sixti V, et aliorum Pontificum, ut notat Herincx, disp. 4, de Legibus quæst. 6, n. 73.

57. *Præsertim Clementis VIII.* — His adde Constitutionem Clementis VIII. *Ratio pastoralis* 1597, editam, et habetur in Bullario Romano, tom. 3. Constit. 51, dicti Pontificis, quæ plurimum notanda est, ac sonat, ut sequitur.

Clemens papa VIII, Ad perpetuam rei memoriam.

« Ratio pastoralis officii nostri exigit, atque efflagitat, ut quorum religionem, ac virtutem Sedi Apostolicæ, totique Ecclesiæ non modo illustrem, et præclaram, sed utilem etiam ac necessariam esse animadvertimus, eosdem nostris, et ejusdem Sedis Apostolicæ honoribus, et beneficiis libenter prosequamur. Cum vero ex bonis, et commodis spiritualibus ord. Mendicantium, ea longe lateque pateant, semperque patuerint, quæ a sacro ordine fratrum Minorum de observantia, ab ipsis fundatæ religionis initiis, in omnes Christianæ reipublicæ provincias profluxerint, quotidieque profluunt, et promanant, faciendum nobis esse statuimus, ut in eodem ordine, nostris et Sedis

Apostolicæ gratiis, atque muneribus honestando, nihil Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum benignitati ac studio concedamus.

» § I. Cum igitur pro parte dilecti filii Joann. Baptistæ Moles Commissarii generalis in Romana Curia Ultramontanæ Familiæ prædict. ordin. de Observantia nobis expositum fuerit, ex ipsius Sedis benigna dignatione provenire, ut Romanus Pontifex quandoque prædecessorum suorum Roman. Pontif. gesta innovet, ac Apostolica auctoritate innovata et restaurata muniat, et fulciat, et in pristinum statum reponat ac reducat, necnon propterea nonnulli Romani Pontifices prædecessores nostri, quasdam gratias, concessionem, indulgentias, et peccatorum remissionem, absolutionem etiam plenarias, libertates, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, multaque alia privilegia, et indulta, tam prædictis fratrum Minorum, quam sanctæ Claræ, ac Tertio de Pœnitentia nuncupato ordinibus, illorumque superioribus, fratribus, monialibus, et sororibus, ac utriusque sexus personis, et monasteriis, domibus, ecclesiis et locis quibuscunque dictorum ordinum nunc et pro tempore existentibus, in genere vel in specie, etiam per modum communicationis, sive extensionis privilegiorum, aliis ordinibus, domibus, ecclesiis, et utriusque sexus personis ordinum mendicantium et non mendicantium existentibus concesserunt, aut jam concessa confirmarunt, et approbarunt, prout in singulis concessionibus, et declarationibus, et litteris eorundem prædecessorum expeditis plenius dicitur contineri.

» § II. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, illa quæ sæpius Apostolica auctoritate prædicta, munita existunt, majorem obtineant roboris firmitatem pro parte prædicti Joan. Baptist. Moles, nobis fuit humiliter supplicatum, ut prædictis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, conservatoriis, declarationibus, facultatibus, dispensationibus, gratiis, concessionibus, indulgentiis, et indultis, pro illorum observantia, nostræ approbationis robur adjicere, aliasque in præmissis opportune providere, et benignitate Apostolica dignaremur.

§ III. Nos igitur, qui omnium votis, præsertimque illorum, qui sub suavi religionis ugo divinis laudibus, et Christianæ religio-

nis augmento incumbentium personarum tranquillitati et commoditati consulunt, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, hujusmodi supplicationibus inclinati, quæcunque præmissa, ac omnia singula alia privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessionem, indulgentias, et indulta spiritualia et temporalia, etiam per modum communicationis, et extensionis inter se, et cum aliis ordinibus mendicantibus et non mendicantibus, ejusdem fratrum Minorem regularis observantiæ, et sanctæ Claræ, et de Pœnitent. Tertio ordinibus etiam in congregatione sub trium votorum substantialium professione et eorundem superiorum ordinis minorum regularis observantiæ hujusmodi obedientia degentibus, ipsorumque superiorum fratribus, monialibus, sororibus, ac utriusque sexus etiam singularibus personis, necnon monasteriis, domibus, ecclesiis, et locis quibuscunque in genere et in specie, etiam per solam signaturam, etiam vivæ vocis oraculo, ut præfertur, aut alias per eosdem Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos et sedem prædictam sub quacunque forma et expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, necnon omnibus et singulis, in eis forsitan contentis clausulis, decretis, et declarationibus quibuscunque, ac singulas desuper etiam pluribus vicibus confectas litteras, et in eis contenta, et inde secuta quæcunque illorum omnium tenores et formas datas, effectus, et decreta in illis, apposita, ac si verbo ad verbum insererentur, et in his essent inserta, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, dicta auctoritate Apostolica tenore præsentium ex certa scientia (in his omnibus) in quibus decretis concilii Tridentini non adversentur, salvis etiam decretis a nobis in favorem fratrum reformatorum concessis, approbamus et confirmamus, ac innovamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, et firmiter observare, necnon ordinibus fratrum minorum regularis observantiæ, et sanctæ Claræ, ac Tertio de Pœnitentia nuncupato, etiam in congregat. sub obedientia fratrum Minorum de observantia hujusmodi degent. superioribus, fratribus, monialibus, etiam tertiariis nuncupatis sororibus, personis, monasteriis, domibus, et ecclesiis, et locis